



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

151 Episcopus jurare debet, ne eleemosynae in alios, quàm in pios usus
convertantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 151 Qua propter hic maxima desideratur Ordinariorum vigilantia: huic rei potissimum est ab ipsis invigilandum, tum ne in publicatione indulgentiarum quarumcunque capsæ, pelves, & mensæ in ecclesiis apponantur, tum, si quid eleemosynæ ex forma ab Ordinario præscripta pie recipiantur, id non in abulum, & quæstum, sed in vera probatæ pietatis officia convertatur juxta dispositionem, & mentem sacri concilii Tridentini *di. cap. 9. de reform. sess. 21. cap. unic. de indulgent.* Pius V. in constitut. *de qua supra*, & Card. Bellarm. *cod. tit. cap. 9. §. primum miratur, & cap. 10. §. sextum caput, libro secundo, tom. 3.*
- 152 Sunt enim eleemosynæ ¶ ad aliquod pium opus, ut ecclesiarum ædificationem, & restaurationem, valorum, & paramentorum ad earundem ecclesiarum, & in altaris ministerii usum, ac pauperum subventionem, captivorum redemptionem & similibus applicandæ, ut per eundem Card. Bellarm. *d. cap. 10. in fin.*
- 153 Eleemosynis ¶ etiam peccata redimuntur, Dan. *cap. 4.* miseris subvenitur: nam eleemosyna est beneficentia miseris propter Deum exhibenda, D. Thom. 2. 2. q. 32. & in 4. *sent. dist. 15. q. 2.* Ideo Christus ad hanc præstandam nos hortatur: facite, inquit, eleemosynam, & hæc omnia mundæ sunt vobis, *Luc. 11.* & vendite, quæ possidetis, & facite eleemosynam, *Luc. 22.* Illa est hostia Deo accepta, placens, & suavis *ad Philipp. 4.* Divus Paul. Eleemosynam appellat Dei gratiam 2. *Corinth. 8.* Per eam Dei misericordia querenda, *Tob. 12.* Unde qui facit misericordiam, Deo offert sacrificium, *Eccles. 35.* odor enim eleemosynæ Raphaelem Archangelum me-

ruit habere internuntium, & per eum ad supremam Dei Majestatem ascendit eleemosyna, à morte liberat, peccata purgat, Tobias via sua ducitur. Sara tot viris contristata, per Angelum matrimonio copulatur *arg. de temp. serm. 226.* eleemosyna mortui adjuvantur, D. August. *in serm. 32. de verb. Apost. & idem Card. Bellarm. de purgat. lib. 2. cap. 16. §. quod hæc tom. 2.* Eleemosyna Bonifacium, & Aglaem Ethnicos ad fidem convertit, à turpitudine peccati utrumque liberat, sanctos efficit, grataque Deo pignora cœlesti societati conjungit, duplicem triumphum Laurentio perperit, duplicique laurea coronavit, sed qui, quanta largiantur, aspiciunt, sed quanta rapiunt, minimè perpendunt: mercedes suas in seculum periturum mittere dicuntur, Raban. *in 34 Eccles. ut etiam notatur, in cap. 1. Haggai Proph.* ubi etiam colligitur, quam gratæ Deo sint oblationes in templi ædificationem præstandæ, *Exod. 36.* habetur, populum tot ad opus tabernaculi Domini: dona obtulisse, ut coactus fuerit Moyses publico edicto jubere, ut ab illis ferendis cessaretur, cum plura, quàm ad ædificium necesse essent, vota existerent. Quodque profunt defunctis preces, viventium eleemosynæ juvent, ac præ cæteris Missarum celebratio, ut citius à Purgatorij penis liberentur, manifestum habemus exemplum in Iuda Machabæo, qui, magna argenti vi collecta, pro defunctis propitiationem fecit, ac iusta persolvit, *Machab. 92.* & testatur August. *apud Bed. lib. 4. Histor. 6. 13.* quem refert, & sequitur Card. Ballarm. *cod. 6. 16. §. his adde.*

- 154 Viventium preces ¶ profunt aliquando, etiam si orantes sint in peccato; peccator